

esset simpliciter actus purus, pro ea parte potentialitatis non esset Deus, quia non esset simpliciter primum ens, sed aliquid posterius in ente, scilicet ens potentiale, unde Deus secundum se totum non esset ens perfectissimum, et primum, si non esset actus purus.

Duplex autem conceptus distinguitur in actu puro, alter per modum transcendentalem, quatenus ens increatum, seu divinum, quod est actus purus, communiter se habet ad essentiam, et attributa, quod enim est commune naturæ, et passionibus quasi transcendentale est respectu illorum, sicut ens creatum transcendentaliter se habet respectu eorum, quæ conveniunt creaturæ. Alter est per modum naturæ, quatenus intelligitur aliquid in Deo per modum constituentis gradum ejus, et naturam condistincte a passionibus, seu attributis. Differentia autem constitutiva cujuscumque naturæ venerari debet ex propria ejus operatione, quia natura est principium motus, seu operationis. Propria autem, et per se operatio Dei est intelligere, quia hæc est maxime immaterialis, et segregata a potentialitate. Unde de natura Dei, seu de actu puro sub conceptu naturæ ibi tractavit D. Thomas ubi propriam ejus operationem explicavit, quæ est intelligere, scilicet in quæstione XIV, quæ non distinguitur a natura propter summam perfectionem, et puritatem illius actus. Antecedenter vero explicavit actum purum ab ista quæstione III, sub conceptu quasi transcendentali entis increati, seu substantiæ divinæ, ut communis est ad attributa, quæ illi conveniunt, in quantum ens increatum est, et a creato distinctum: et hæc dicimus, quod pertinent ad esse entitativum Dei, quod est esse increatum.

Ex ratione autem actus puri secundum conceptum entis increati

oriuntur quinque principalia, et quasi radicalia attributa pertinentia ad ipsum esse Dei, per quæ remouentur a ratione actus puri quinque conditiones, seu defectus entis creati, et potentialis, scilicet compositio imperfectio, limitatio, mutatio, et divisio, seu pluralitas, et per attributa remouentia istas conditiones, Deum cognoscimus via etiam remotionis. Sunt autem quinque attributa, scilicet simplicitas contra compositionem; perfectio contra imperfectionem; infinitas contra limitationem; immutabilitas contra mutabilitatem; unitas contra divisionem, seu pluralitatem. Nam ex eo, quod est actus purus sine aliqua potentialitate nihil est per quod minoretur, imperficiatur, vel limitetur, aut determinetur actus ille, et perfectio, unde non est invenire in illo majus, aut minus, et consequenter, neque totum, et partes, quia omne totum est majus sua parte, caret ergo compositio. Caret etiam imperfectione, quia si deesset ei aliqua perfectio esset in potentia ad illam, et sic non esset actus purus. Caret etiam limitatione, quia nulla caret perfectione, et sic ad nullam limitatur, oritur enim limitatio ex aliqua potentialitate non permittente omnem actualitatem, et perfectionem. Caret etiam mutabilitate, quia si ad nihil est in potentia, ad nihil mutari potest. Caret denique multiplicatione, seu divisione, quia si divideretur aliquid perfectionis esset in uno, quæ non in alio, si quidem ab illa dividitur, et una ab alia non participatur, ergo uni deesset perfectio, quæ est in alio, et e contra. Debet ergo esse unum, quod est actus purus.

Ex his autem attributis, quæ sunt magis radicalia in entitate, sequuntur alia tria quasi accessoria, et consecuta ad ista. Ad perfectionem enim sequitur bonitas. Quia unumquod-

que in tantum est bonum, seu appetibile, in quantum est perfectum, ex perfectione enim in se sequitur, quod sit communicativum sui, et perfectivum alterius per modum finis. Ad infinitatem etiam sequitur immensitas, ut est infinitas quantitatis, et ratio præsentiae localis, licet ad contactum hujus præsentiae in Deo non sufficiat infinitas in ratione entitatis, sed etiam in ratione operationis, et actionis, quia est contactus virtualis, qui non potest aliquid tangere nisi dando, vel efficiendo, et quia divinus est, debet dare omnia, etiam primum esse, et sic debet intime esse in omnibus, quod est esse immensum. Denique ad immutabilitatem sequitur æternitas, quia quod est immutabile non potest ejus duratio mensurari motu, et tempore, sed æterno. Licet autem veritas sit unum ex transcendentibus, non tamen hic tractatur a D. Thoma, quia veritas, ut transcendentis pertinet ad cognoscibilitatem passivam, et ideo tractatur a D. Thoma quæstione XII post tractatum de entitate Dei: veritas autem formalis pertinet ad actum intellectus, ideoque agitur de illa post tractatum de intellectione divina, quæstione XVI.

Igitur hoc ordine tractat D. Thomas de his attributis entitativis, quæ sunt octo. Primo, de simplicitate Dei, quæ opponitur compositioni creatæ, quæstione III. Deinde, de perfectione, quæstione IV. Et quia ad perfectionem sequitur bonitas agit de illa dupliciter. Primo, in communi quæstione V. Deinde, in particulari de bonitate divina, quæstione VI. Tertio, agit de infinitate entitativa quæstione VII. Et quia infinitatem sequitur quantitas infinita, seu immensitas agit de illa, quæstione VIII. Quarto, agit de immutabilitate, quæstione IX. Et quia ad immutabilitatem sequitur æternitas, agit de illa, quæs-

tione X. Tandem tractat de unitate Dei, quæstione XI.

In secundo ordine attributorum agit de ipsa cognoscibilitate passiva Dei, quæ est sicut veritas transcendentis ejus. Et prius consideratur in Deo esse cognoscibilem passive, quam esse cognoscitivum: tum quia cognoscibilitas passiva, est quid universalius cum inveniatur in omni ente, et consequatur ad conceptum transcendentalem ipsius entitatis, ratione cujus dicitur aliquid cognoscibile; esse autem cognoscitivum pertinet ad operari, ideoque consequitur determinatum gradum naturæ, natura enim est principium operandi. Unde convenienter agit D. Thomas de cognoscibilitate passiva Dei prius quam de activa, sed quia cognoscibilitas passiva dicitur per ordinem ad aliquid cognoscens, potest comparari cognoscibilitas passiva Dei, vel in ordine ad ipsum intellectum divinum cognoscentem, et cum hoc supponat ipsum Deum intelligere, et cognoscere active considerabitur infra agendo de scientia Dei. Vel potest comparari ad intellectum creatum cognoscentem ipsum Deum, quod maxime fit per visionem beatam, et ideo agit de illa in hac quæstione XII. Quia vero ex cognitione Dei sequitur nominatio ejus, quia unumquodque nominamus sicut cognoscimus agitur de nominibus Dei, et de modo, quo ista nomina ipsum significant in quæstione XIII.

In tertio ordine attributorum considerantur illa attributa, quæ pertinent ad ordinem operativum, et consequenter agitur de ipsa scientia Dei sub conceptu naturæ, seu gradus constituentis naturam, ratio enim naturæ ex operatione dignoscitur, cujus in rebus creatis natura est principium, in Deo autem non

est principium per modum actus primi ordinati ad secundum, sed actualitas ipsa pura, et ultima operationis. Quod si aliqua attributa intellectionis distinguuntur, ut sapientia, prudentia, etc. id solum est penes aliquas particulares habitudines circa aliqua objecta, vel modum attingendi, non penes actualitatem ipsam intellectualitatis, quæ pertinet ad gradum naturæ. Cum autem sit duplex operatio, altera immanens, altera transiens, prius agit D. Thomas de operatione immanenti a quæstione xiv usque ad xxv. Postea autem de operatione transeunte, seu potentia executiva, in quæstione xxv. Est enim actio immanens ex sua natura prior transeunte, tum quia magis intima ipsi operanti, tum quia immanens est directiva, transiens vero executiva, executio autem supponit directionem.

Attributa ergo quæ involvunt operationem immanentem in Deo tali ordine distribuit D. Thomas quod prius considerat ea, quæ pure, et præcise pertinent ad intellectum, quia intelligere præcedit velle, deinde ea quæ præcise pertinent ad voluntatem, et ad ejus operationes et virtutes. Tertio, de illis attributis, quæ sunt mixta ex operatione intellectus, et voluntatis, quia pertinent ad unam potentiam, ut movetur ab alia, sicut providentia, seu prudentia pertinet ad intellectum imperantem, et ordinantem secundum quod præsupponit, movetur ab efficacia voluntatis, sine qua providentia inefficax, et cassa redditur. Neque oportuit agere de aliis actionibus immanentibus, quia non possunt dari in Deo nisi operationes intellectus, et voluntatis, quæ enim pertinent ad sensus corporeos in Deo non sunt. Igitur ea, quæ pertinent ad intellectum divinum præcise tractat D. Thomas a quæstione

xiv usque ad xix, tali ordine, quod primo considerat ipsum intelligere in se, quoad specificationem suam, et objecta, ad quæ se extendit, et modum intelligendi, et hoc tractat quæstione xiv. Deinde, considerat perfectiones, quæ conveniunt ipsi intelligenti ratione intellectualitatis, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti. Eex parte subjecti convenit intelligenti perfectio vitæ, quia intelligere operatio vitalis est, et convenit viventi. Ex parte autem objecti præcipua perfectio intelligentis est veritas, sicut carere veritate seu esse falsum magna imperfectio est; veritas autem vel est solum cognita, et assecuta ab intellectu, vel etiam formata, et procedens ab ipso, sicut res arte factæ procedunt ab arte, et per conformitatem ad regulas artis veritatem suam sortiuntur. Et ad hoc requiritur exemptor, seu idea, quem per modum artis causet rem ideatam. Sic ergo tractat D. Thomas post intelligere divinum de vita, de veritate, de ideis tamquam de perfectionibus intellectualitatis divinæ. Prius tamen agit de ideis, deinde de veritate, et ultimo de vita, quia hoc postulabat connexio in ordine doctrinæ: eo quod in quæstione de scientia ostenderat D. Thomas scientiam Dei esse causam rerum, quod erat scientia practica respectu creaturarum, unde statim oportebat ostendere ipsa principia, quæ sunt exemplaria, seu ideæ ex parte intellectus formativæ creaturarum: deinde agit de veritate, quæ in creaturis transcendentaliter invenitur, et sumitur per conformitatem ad ista exemplaria, seu ideas divinas, a quibus formantur res naturales sicut res arte factæ ab arte, licet veritas formalis seu iudicii, solum in intellectu detur. Et postremo agit de vita, quæ ex parte subjecti intelligentis se tenet, hoc enim vivit

intelligendo. Atque ita de ideis agit, quæstione xv. De veritate vero, quæstione xvi. De opposito veritatis, quæ est falsitas, quæstione xvii. De perfectione vero ex parte subjecti intelligentis, quæ est vita Dei, agit quæstione xviii.

De attributis autem pertinentibus ad operationem voluntatis absolute et præcise, incipit agere a quæstione xix. Quod sic dividit D. Thomas ut primo agat de ipsa voluntate, ut constituit in Deo vere, et proprie appetitum elicitem ex cognitione ordinatum: deinde, de actibus qui illi conveniunt, et tertio de virtutibus, quæ illi attribuuntur. Agit autem prius, et seorsim D. Thomas de voluntate, quam de actibus ejus, quod non fecit, quando egit de intellectu in quæstione xiv, eo quod actus intelligendi non tam habet rationem operationis, quam ipsam summam, et ultimam actualitatem intellectualitatis, et cum natura in Deo constituatur ipso gradu intelligendi ut habet rationem actus puri, consequenter non tractatur de actu intelligendi seorsim ab intellectu ipso, et natura. Actus autem volendi non constituit naturam, sed supponit intellectualitate constitutam, et sic volitio plus habet de operatione, quia non est primum constituens, quam de gradu, intellectio vero plus de gradu actus puri, quam de operatione; ideoque seorsim ab ipso principio elicente, quod est voluntas explicatur; ut per hoc etiam constet voluntatem in Deo esse appetitum elicitem non innatum. Agit ergo primo de ipsa voluntate secundum se, quæstione xix. Deinde de ejus actibus, et virtutibus. Dupliciter enim in voluntate sumitur distinctio actuum. Uno modo respectu objecti appetibilis, ut conveniens ad amandum, vel disconveniens ad fugiendum, sicut distinguuntur amor et odium,

spes et gaudium, et similia. Alio modo sumitur distinctio actuum non per originem ad appetibile ut sic, sed ad appetibile ut regulatum, et mensuratum ratione, et sic fundatur diversitas virtutum moralium, quia objectum immortalitatis est appetibile, seu volibile ut regulatum. Sic ergo distinguit D. Thomas duplex genus actuum, seu virtutum in voluntate divina: aliud eorum, qui præcise distinguuntur penes ordinem ad appetibile in ratione convenientis, vel disconvenientis, ut ametur. Et de his agit in hac quæstione xx, considerando amorem, et gaudium in Deo, nam reliqua quæ pertinent ad fugam, vel arduitatem objecti non sunt formaliter et directe in Deo, quia imperfecta. In sequenti autem quæstione considerat virtutes voluntatis divinæ secundum rationem moralitatis. Hæc autem in Deo reducuntur ad duo scilicet ad justitiam, et misericordiam. Nam virtutes morales, vel versantur circa passiones, ut ordinantur sub ratione vel circa operationes erga alterum. Quæ versantur circa passiones, est temperantia, fortitudo, etc. Deo convenire non possunt nisi metaphorice, cum in Deo non sint passiones. Unde et ipsa misericordia, secundum quod importat passionem tristitiæ erga miseriam proximi, non nisi metaphorice Deo convenit. Quæ autem versantur circa operationes ad alterum, ut justitia, liberalitas, etc. non repugnat esse in Deo dummodo subjectionem ad superiorem non importent, ut religio, observantia, et similia, sed ordinationem superioris erga inferiora involvendo, et ista reducuntur ad misericordiam, et justitiam quia omnis voluntas Dei erga creaturas, vel fit secundum puram gratiam, et sic pertinet ad misericordiam, quæ relevat creaturam a defectu, seu indigentia, vel fit secundum aliquem modum

debiti saltem ex suppositione, et pacto et sic pertinet ad justitiam. Undo dicitur Psalm. xxiv: *Omnes viæ Domini misericordia, et veritas, id est, operationes tendentes ad creaturas, ut viæ.*

Tertio loco considerat D. Thomas illa attributa, quæ nec sunt solius intellectus, nec solius voluntatis, sed intellectus ut moti a voluntate, sicut sunt actus practici disponentes, et ordinantes libere de his, quæ ordinari, et imperari possunt. Deus autem in ordine ad se non agit per imperium, et ordinationem liberam, quia voluntas divina fertur necessario erga se, cum sit summum bonum, unde circa se solum habet amorem necessarium, et gaudium summum. Respectu ergo creaturarum exercet Deus actus practicos liberos ordinantes, et disponentes de illis. Et quia omnia creata subduntur Deo, ut supremo Domino, ideo respectu omnium habet procedere per providentiam, seu prudentiam, cujus præcipuus actus est imperare, ut dicit D. Thomas 2-2 quæst. XLVII, art. VIII. Quare omnia, quæ per actus practicos ad quos concurrat ordinatio intellectus, et efficacia voluntatis inveniuntur in Deo, reducit D. Thomas ad providentiam, seu prudentiam, qua de omnibus disponit. Et de ista agit primo in generali in hac quæstione XXII. Deinde sequenti agit de speciali providentia, quæ transmittit efficaciter creaturam rationalem ad finem supernaturalem. Et dicitur specialis tum ex parte finis ad quem ducit, quæ est beatitudo supernaturalis; tum ex parte personarum, quia non omnes, sed quosdam tantum adducit ad illum finem; tum ex parte modi, quia efficaciter ad finem perducit; ideo prædestinativa providentia dicitur, et ita de prædestinatione agit, quæstione XXIII. In quæstione autem XXIV, explicat metaphoram, qua in Scrip-

tura prædestinatio dicitur liber vitæ, tum pro ea parte, qua liber dicitur Scripturam ordinatam ad succurrendum memoriæ, et sic est forma Dei notitia de prædestinatis: tum pro ea parte qua liber ordinatur ad designandum aliquos ad aliquod officium seu munus: electi autem, ad supremum munus designantur, scilicet ad fruendum Deo.

Denique, post attributa explicantia actus pure immanentes in Deo, explicat D. Thomas attributum omnipotentia, quæ dicit principium executivum, et per modum actionis transeuntis ad extra, et sic agit de omnipotentia in quæstione XXV.

Ex omnibus autem istis hucusque tractatis quæ summam, et infinitam Dei perfectionem in essendo, et operando explicant colligit D. Thomas, convenire Deo summam beatitudinem, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ut in cognitionem, et fruitionem cadit. Et sic de beatitudine Dei agit, quæstione XXVI.

MYSTERIUM TRINITATIS.

Post considerationem perfectionum absolutarum, quæ conveniunt Deo ut maxime unus est, restat considerare intra Deum, ea quæ pertinent ad distinctionem Personarum, et mysterium Trinitatis. Quam considerationem distribuit D. Thomas, in tres præcipuas partes. Primo, considerat ea, quæ se habent ut præcognita quædam, et præsupposita ad distinctionem Personarum, et sunt duo, scilicet processiones, et relationes, et hoc per duas quæstiones. Secundo, considerat ipsas Personas constitutas, et distinctas in se tum in communi, tum in particulari, de qualibet disserendo per decem quæstiones. Tertio, ea quæ consequuntur ad Personas secundum earum com-

parationem, sive ad intra, sive ad extra ad creaturas, per quinque quæstiones.

Circa primum, cum mysterium Trinitatis consistat in hoc, quod sint in Deo tres Personæ realiter distinctæ cum summa unitate essentia, catholica fides procedit evitando duplicem hæresim extreme contrariam, ex quibus cæteræ in hac materia originatæ sunt, scilicet Sabellii, et Arii. Sabellius enim sic voluit salvare unitatem in Deo, quod etiam omnes Personas fecit unam realiter et in se, solumque eas distinxit penes diversa officia, seu effectus ad extra, et sic ut Filium Deus faceret, negavit esse Filium; Arius contra sic distinxit Personas in Deo quod negavit consubstantialitatem, et unitatem in essentia, et sic ut faceret Filium negavit esse Deum. Ut autem utrumque evitet fides catholica ponit distinctionem Personarum non fieri in absoluto, et essentiali, sed penes relationes reales oppositas, eo quod inter omnes oppositiones sola relativa inveniri potest sine imperfectione, et divisione naturæ in Deo, ut S. Thomas advertit quæstione VII de potent. art. VIII ad IV, et in I ad Annibaldum distinctione XXVI, qu. II, art. II et III, quia reliquæ oppositiones fiunt tollendo aliquid, et ponendo in ipsa substantia rei, cui conveniunt, quia fiunt penes negationem, et affirmationem: sola relativa oppositio fit respiciendo, et tendendo ad terminum oppositum, non tollendo illum, et sic non facit divisionem inesse, sed in respectu, omnia autem sunt unum in Deo, ubi non obviat relationis oppositio. Rursus necesse est huic relationi apponere fundamenta saltem ad hoc, ut exerceatur respectus oppositionis, quia respectus, qui exercetur sine fundamento, realis non est: non potest autem aliquis respectus fundari in divinis, nisi in

aliqua processione, seu origine communicativa naturæ, non divisiva, quia omnis alia relatio, quæ super aliud fundamentum fundatur, supponit extrema distincta, non facit, origo autem, seu processio etiam extrema ipsa, respectusque producit. In Deo autem antecedenter ad relationes non possunt supponi aliqua extrema distincta, inter quæ relatio exerceatur, quia omne, quod antecedit relationem est absolutum, et consequenter non distinctum, sed unum. Et sic sola processio, seu origo potest fundare relationes reales non supponendo extrema distincta ante ipsas relationes, sed per ipsas relationes, extrema distincta constituendo, quia relationes ipsæ substantiales sunt, et non accidentales. Ideo ergo agit de processione divinis tamquam de fundamentis relationum ad intra in quæstione XXVII, de ipsis autem relationibus in quæstione XXVIII.

Explicatis vero processionebus, et relationibus, sequitur secunda pars hujus tractatus, scilicet agere de ipsis Personis secundum se, quarum constitutio, et distinctio a relationibus, seu processionebus pendet. In hoc autem generaliter veniunt consideranda duo. Primum id quod est commune omnibus Personis; secundo, id quod unicuique est peculiare, et proprium. In communi considerantur quatuor. Primo, quidditas, seu definitio, aut conceptus Personæ in communi, et hoc quæstione XXIX. Secundo, divisio, seu pluralitas Personarum, quæstione XXX. Tertio, ea quæ pluralitatem hanc consequuntur, et quomodo nominibus pluralitatis, diversitatis, vel solitudinis utendum sit, et hoc quæstione XXXI. Quarto, cognoscibilitas Personarum, et consequenter earum nominatio, et hoc quæstione XXXII. Exinde vero agit de singulis Personis in particulari. Et primo, de

Persona Patris, quæstione xxxiii. Deinde, de Persona Filii quantum ad rationem, et munus Verbi, quæstione xxxiv, quantum vero ad rationem imaginis, quæstione xxxv. Tertio, de Persona Spiritus Sancti, tum quantum ad rationem spiritus, quæstione xxxvi, sumendo spiritum non prout opponitur corporeo, sic enim est aliquid commune tribus Personis, sed prout dicit impulsus, et efficaciam voluntatis procedentem a Patre, et Filio spirantibus: tum in quantum est dilectio, seu amor spiritus, quæstione xxxvii. Tum in quantum est donum procedens, et emissum a donante, quæstione xxxviii.

Circa tertiam partem hujus tractatus considerat Div. Thomas, quinque comparationes Personarum. Primo, in ordine ad essentiam, quæ illis terminatur, et ad nomina essentialia, quibus significatur, et hoc quæstione xxxix. Secundo, comparantur ad relationes, quibus ut formis personalibus constituuntur Personæ, et de hoc quæstione xl. Tertio, comparantur ad actus notionales secundum quos originantur Personæ, vel producunt, et de hoc quæstione xli. Quarto, comparantur inter se quantum ad æqualitatem, magnitudinem, coæternitatem, et similia, et de hoc quæstione xlii. Quinto, comparantur quoad creaturas ad quas mittuntur Personæ non pro opere creationis, quod est commune omnibus Personis, nec convenit illis nisi ut sunt unum sed pro opere aliquo sanctificationis, in quo vel visibiliter apparent Personæ, ut Filius, per incarnationem, et Spiritus Sanctus per apparitionem; vel invisibiliter habitant in anima per sanctificationem, et de tali missione Personarum agit, quæstione xliiii.

PROCESSIO CREATURARUM A DEO.

Ex hoc loco incipit agere D. Thomas de Deo in causando, qui hucusque egerat de Deo in essendo in ordine ad se. In processione autem creaturarum considerat D. Thomas tria. Primo, quod genus causæ conveniat primo principio, quod est Deus. Secundo, modum causandi tam ex parte ipsius causæ, quam ex parte rei causatæ. Tertio, res ipsas causatas, earumque varietatem. Primum expedit quæstione xliiii, ostendens, quod primo principio convenit genus causæ efficientis, finalis, et exemplaris, materiam vero esse rem creatam a Deo, non primam causam, et sic materialem causalitatem primo principio convenire. Secundum tractat quæstionibus xliiii et xliiiii. Ubi tractat de modo se tenente ex parte Dei causantis, quæstione xliiii. Et de modo tenente se ex parte creaturarum, quæstione xliiiii. Modus autem ex parte Dei causantis consideratur solum in genere causæ efficientis, nam de causalitate finali tractandum est in 1-2 agendo de fine ultimo rationalis creaturæ, de exemplari autem supra quæstione xv actum est. Modus ergo ex parte efficientis in Deo est, quod producat ex nihilo, et hoc est creare. Modus autem ex parte creaturarum procedentium consideratur theologice quantum ad hoc, quod incœpit creare in tempore, et non ab æterno, hoc enim pertinet ad declarationem articuli fidei, quod fatemur Deum creasse in initio temporis.

Circa tertium, scilicet circa res ipsas procedentes a Deo, earumque diversitatem, et distinctionem, intendit D. Thomas modo theologico agere de effectibus istis procedentibus a Deo secundum quod ex illis integratur hoc universum, quod est

integer, et totalis effectus Dei. Unde prius in communi ostendit dari diversitatem, et inæqualitatem rerum cum unitate mundi, quæ est unitas ordinis, et utriusque Deus est causa, et hoc facit quæstione xlvii.

Deinde, descendit ad explicandum in speciali res ipsas, ex quibus integratur mundus per sua genera. Et licet res creatæ dividantur per decem prædicamenta considerando metaphysice prædicata quidditativa, ex quibus constant, tamen theologus non considerat quidditates creaturarum nisi prout sunt effectus Dei integrantes hoc universum, unde solum considerat principalia genera ex quibus universum coalescit, et id quod facit inæqualitatem, et graduationem in rebus universi. Genera præcipua sunt corporale, et spirituale, et ex his mixtum. Inæqualitas autem, et graduatio, sumitur penes perfectum, et imperfectum, seu defectuosum, quod generaliter dicitur bonum, et malum, unde solum ista explicat in præsentia. Et deinde, quia solum pertinet ad theologum sic explicare distinctionem, et multipliciter creaturam quod constat nihil subtrahi a jurisdictione Dei, sed esse Creatorem omnium visibilium et invisibilium neque aliquam distinctionem, seu inæqualitatem dari in creaturis, quæ exigat duo summa, et prima principia, sicut posuerunt Manichæi dari unum principium bonum, et alterum malum: et ab uno, quo est Deus subtrahebant corporalem creaturam dicentes esse a malo principio. Unde ad ostendendum quod universitas creaturarum sit ab unico principio, id est, a Deo Creatore necesse fuit distinguere illa genera, quæ aliqui subtraxerunt a Deo, et omnia illi attribuere, scilicet spirituale et corporale, bonum et malum.

Circa distinctionem ergo boni et mali, omisso bono de quo jam supra

quæstione v, actum est, de quo nulus dubitat, quod sit a Deo, hic solum tractat de malo, de quo ibi non egit, quia magis conducebat hic ad explicandam inæqualitatem, et distinctionem creaturarum. Et agit de malo in communi, nam de speciali malo, quod est morale tractandum est in prima secundæ. Et sic de malo in communi solum agit duo. Primo, de natura mali ejusque divisione in malum culpæ, et pœnæ, etc. Et hoc quæstione xlviii. Deinde, de causa mali in communi, quæstione lxi.

Circa divisionem vero penes spirituale, et corporale longior tractatus est comprehendens varias naturas, quæ in hac divisione includuntur. Agit ergo prius de natura pure spirituali, quam theologi Dei nuntium, philosophi intelligentiam vocant, de qua agit a quæstione l usque ad lxi. Secundo, de natura pure corporali, quæ processit a Deo in opere sex dierum, a quæstione lxi usque ad lxxv. Tertio, de mixto ex spirituali et corporali, quod est homo, a quæstione lxxv usque ad cccii. Et licet homo sit dignior, quam creatura pure corporea, agit tamen prius de illa quam de homine, tum quia post Angelos, vel cum illis facta est immediate natura pure corporalis dicente Scriptura: *In principio creavit Deus cælum, et terram*, deinde vero sexta die factus est homo. Theologus autem maxime observat explicare ordinem creaturarum, eo modo quo processerunt a Deo: tum etiam quia mixtum seu compositum ex aliquibus extremis melius cognoscitur habita cognitione extremorum, et sic cum homo componatur ex spiritu, et corpore, recte de illo agitur post tractatum de natura spirituali, et corporali.

Considerationem autem creaturæ, spiritualis, seu Angelorum sic dis-